



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XIII. Crvx regni cælorum pandit portas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT XIII.

CRUX regni caelorum pandit portas.

Pulsanti ~~aperietur~~. Luc. II, 10.

Hem! CRUCE pulso fores, Proceres attollite
portas,
Cognitus hic vobis (eia aperite) sonus.



VECTA iam erat Staurophila
ad ipsum montis fastigium, in
quo ante ipsam Ierusalem lata
quaedam area, non admodum
tamen longa protendebatur.

Hic verò Christus Dilectam suam ita affatus
est: In proximo est, mea Staurophila, ut im-
pleatur desiderium tuum, ecce enim hæc est
ciuitas Regis magni.

Viden' ut luce splendidâ fulgeat, cuius
fundamenta in montibus sanctis, & lumen Psal. 47, 9.
eius simile lapidi pretioso, tamquam lapidi
iaspidis, sicut crystallum; ecce murum ma- Apoc. 21,
gnum, & altum habentem portas duodecim: II.
tota structura muri ex lapide iaspide; ipsa ve- Ibid. v. 18.
rò ciuitas aurum mundum simile vitro mun- 21.
do. Singule porte ex singulis margaritis, &
platea ciuitatis aurum mundum tamquam vi-
trum perlucidum. Quàm grata hæc oculis,
quàm

quàm iucunda! Nec auribus hîc sua deest
 Tob. 13, oblectatio; nam per *vicos eius* perpetuum
 22. & suauissimum *Alleluia* cantabitur. Lætitia
 Pſal. 83, 1. gestiens Staurophila exclamabat: *Quàm
 dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!*
*concupiscit, & deficit anima mea in atria
 Domini: quia melior est dies vna in atrijs tuis,*
 Pſal. 25, 8. *super millia. Dilexi enim, Domine, decorem
 domus tue, & locum habitationis gloriae tue.*

Meritò sanè, inquiebat Christus; hîc enim
 Isaia 61, 3. dabitur tibi, omnibusque lugentibus coro-
 na pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pal-
 Apoc. 21, 4 lium laudis pro spiritu mæroris. Hîc abster-
 get Deus omnem lacrymam ab oculis Sancto-
 rum, & mors ultra non erit, neque luctus,
 Isaia 60, 5. neque clamor, nèque dolor erit ultra, quia pri-
 ma abierunt. Tunc, ô charissima, videbis,
 & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor
 Pſal. 35, 9. tuum. Tunc inebriaberis ab ubertate domus
 Dei, & torrènte voluptatis potaberis. Tunc
 quoque cum alijs Sanctis gratulabunda di-
 Pſal. 47, 9. ces: *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate
 Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri.*

Domine, inquiebat Staurophila, vt hæc
 Pſal. 41, 5. *recordata sum, effudi in me animam meam,
 quoniam transibo in locum tabernaculi admi-
 rabilis vsque ad domum Dei.*

Sed, ô Domine, si inueni gratiam in ocu-
 lis tuis, iam ampliùs noli tardare, sed osten-
 de

de mihi, obsecro, gloriam tuam. Ita suspirans, & velut ceruus desiderans introitum cælestis Ierusalem, leniter ducente & comitante Christo, deambulabat Staurophila, donec tandem peruentum est ad portam ciuitatis; cum Christus ad eam: *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Psal. 117. 19. Iam, ô dilecta, cursum consummasti, fidem seruasti, reliquum est vt intres in gaudium Domini, receptura coronam iustitiæ. An non vides vt te candidatorum Martyrum exercitus expectet, vt Virginum turba inuitet, vt omnis curia cælestis cum gaudio acclamet: *Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus preparauit in æternum?* Breuiar. Rom. Eleuans porrò oculos Staurophila, videre sibi visa est turbam magnam stantem ante thronum Apoc. 7. 13 in conspectu Agni; & omnes (vt apparebat) amicti stolis albis, & palma in manibus eorum. Cui Christus: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt?* Ait illa: *Domine mi, tu scis. Et dixit: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni, ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad*
vite

vite fontes aquarum. O vtinam eorum iungar consortio! aiebat Staurophila; vtinam societate fruar ciuium supernorum, qui me expectant, donec retribuas mihi! Sed quid agimus, Dilecte mi? en fores etiamnum clausæ sunt: quis eas reuertabit? Clamare vix ausim: atque vt excelsâ voce in clamen, repulsam timeo. Memini enim fatuas illas

Matth. 25, 12. virgines, quæ dicebant, *Domine, Domine, aperi nobis*, audiuisse durum illud *Nescio vos.*

Luc. 11, 10. Quid hæsitas? inquiebat Christus. ipsâ CRUCE tuâ, ceu malleo, validissimè portas has pulsa, *pulsanti enim aperietur.* Nec insolentiam metue, *regnum enim calorum vim patitur, & videntur rapiunt illud.* Non-

Luc. 13, 24. ne omnes admonens olim dixi: *Contendite intrare per angustam portam*, vt scirent fas esse non tantum pulsare, sed multâ etiam vi & contentione viam sibi in cælum, aperire: *quoniam multi querent intrare, & non poterunt.* Id verò aptissimè fecerit CRUX, quæ paradysum reseat, & cælestis regni clavis est. Iubentis vocem secuta Staurophila, semel iterumque, quantâ vi poterat, ianuam cæli CRUCE pulsabat, dicens: *Attollite portas, principes, vestras, & eleuamini porta æternales, & introibo in tabernaculum Dei mei.* Nec mora; statim apertum est cælum; & electa illa post tot CRUCES

Psal. 23, 7.

Attollite portas, principes, vestras, & eleuamini porta æternales, & introibo in tabernaculum Dei mei. Nec mora; statim apertum est cælum; & electa illa post tot CRUCES

CES

CES & tribulationes, exultans & lætabunda admiffa est in atria Domini. Antequam verò intraret, chartam quamdam in terram dimisit, quam adstantium quidam avidè rapiens, & piâ curiositate aperiens, vidit in eâ scriptum

TESTAMENTVM STAVROPHILÆ.

✠ In nomine Domini nostri IESV
CHRISTI Crucifixi, Amen.

Staurophila athereos iam iam subitura penates,

Hec mittit genti verba suprema sua.

Haecenus, ut licuit, nostros spectastis agones,

Et VIA quo passu sit mihi trita CRVCIS.

Nunc meritum bonitate sua mihi pandit Olympum,

Qui fuerat nostra Duxq; Comesq; via.

Sed tamen extrema (vel in ipso limine cali)

Signa voluntatis scribere posse dedit:

Iussit & Aligerum, qui me custodit, Achatem,

Hec TESTAMENTI verba notare mei.

Illa ego tot pridem, magnosq; experta labores

Staurophila, è CRVCIS hac sat benè nota

VIA;

C e

Exiguo

Exiguo vixi caelebs, & paupere censu:

Patris opes. CHRISTI nomine, pauper habet.

At mihi ductoris largo de munere IESV

Sunt bona, pauca quidem, sed meliora super.

Horum, mortales, ego vos ex asse relinquo

Heredes, & ius omnē resigno meum.

Protulit aeternæ quæ CHRISTVS dogmata

vite,

Quæq; salutifera sunt CRVCIS apta VIÆ;

Hæc ego Testatrix, tribus his signata libellis,

Aeternum vobis nuncupo, lego, dico.

Quæ CRVCIS in stadio vestigia nostra le-
guntur,

Lego eadem, vestro sed relegenda pede.

CRVX superest, nostræ CRVX maxima causa
salutis,

Quâ mihi nil toto gratius orbe fuit;

Hanc quoque transscribo; capite, & citò ferte
ferentem

IESV Staurophoris præmia mille CRUCEM.

Illa triumphalis Superum mihi currus ad aulâ:

Si placet hæc vobis meta, tenete V I A M.

Actum in atriis caelestis Ierusalem, regnante

à ligno CRVCIS Domino nostro IESV

CHRISTO:

Ego STAVROPHILA ancilla

CHRISTI Testamentum meum

relegi, signavi, subscripsi. †

Hæc

Hæc dilapsa cælo continebat scheda. Interim Staurophila intrauit in gaudium Domini sui, in gaudium illud, quod solum est verum & solidum gaudium: *quod non de creaturâ, sed de creatore concipitur; cui comparata omnis aliunde iucunditas, mæror est; omnis suauitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fædum; omne postremò quodcumq; aliud delectare possit, molestum.* Quis verò cogitare sufficiat, quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cælestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quàm placido vultu, quàm serenâ facie, quàm diuinis amplexibus à Sponso suscepta?

Bernard.
Epist. 114.

Bernard.
Serm. I. de
Assumpt.
B. M A-
R I A E.

1. Cor. 2, 9

Augusti-
nus.

August. in
Psalm, 93.

Sed frustrâ omnino sim, si quod in illâ viuentium regione iam videt, audit, gustat, & tranquillissimâ possidet securitate, exponere voluero. Quia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Res ista fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur; desideria & vota trāsgreditur. Quid igitur? desperandumne est? minimè: *estimari non potest, ACQVIRI POTEST.* Quo autem pretio? quanto labore digna est requies, quæ non habet FINEM? Si verum vis iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum hoc est; sed noli ti-

C c 2 mere,

404 REG. VIÆ CRVCIS LIBER TERTIVS.
*mere, misericors est Deus. Si enim haberes æ-
ternum laborē, numquam peruenires ad æter-
nam quietem. Ergo et aliquando peruenias ad
id quod emis, non in æternum laborandū est,
non quia non valet tanti sed ut possideatur,
quod emisur. Decies centena millia annorum
in labore quid valent? Decies centena millia
annorum habent FINEM; quod tibi dabo, dicit
Dominus, non habebit FINEM. Qualis mise-
ricordia Dei? nec dicit, Decies centena millia
annorum labora; non dicit, Vel mille annos
labora; non dicit, Quingentos annos labora;
sed, Cūm viuis labora, in paucis annis. Inde iam
requies erit, & FINEM non habebit.*

Augustin.
lib. 22. de
Ciuit. Dei
cap. 30.

O requies æterna! Ô FINIS sine FINE!
Ô gaudium immensum! Ô tranquillissima
quies in Deo ipso! qui est desideriorum no-
strorum FINIS, qui sine FINE videbitur,
sine fastidio amabitur, sine fatigatione lauda-
bitur. Ecce quid erit in FINE, sine FINE!
Nam quis alius noster est FINIS, nisi perue-
nire ad Regnum cuius nullus est FINIS?

Huc REGIA CRVCIS ducit VIA;
huc suo, ut vidimus, itinere peruenit Stau-
rophila, hic etiam totius nostræ scriptionis
ad Dei vnius gloriam fit tandem
Collegii Societatis IESV Paderbornæ.
FINIS.

IN-